



Theologiæ Sacramentalis Scholasticæ Et Moralis Pars ...

Ad Mentem Doctoris Subtilis Ioannis Duns Scoti D. Augustino conformen

In qua tractatur de Sacramentis in Genere, & duobus primis in specie

Bosco, Jean a

Lovanii, 1665

Concl. XII. Ministrans indigno quodcumque Sacramentum peccat mortali sacrilegio, & sæpè scandalo, nisi justa causa excuset.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73340)

habetur can. *Omnia* 1. q. 1. *Omnia* (inquit) *Sacramenta* cum obfint indignè tractantibus, profunt tamen per eos dignè fumentibus: sicut & verbum Dei. Vnde dictum est: *que dicunt facite, que autem faciunt, nolite facere*. Ubi annumerat concionatores ministris Sacramentorū; quia tamen Sacramenta majorem continent sanctitatem, quàm conciones, quæ solùm remotè disponunt hominem ad veram gratiam sanctificantem; hinc fit ut ministri Sacramentorum ad id specialiter consecrati peccent mortaliter administrando Sacramenta in malo statu; concionatores autem concionando solùm venialiter per se loquendo.

Et sanè non minùs peccat minister Sacramentorum ministrando indignis, quàm ministrando indignè. Pro quo pono hanc conclusionem.

CONCLUSIO XII.

Ministrans indigno quodcumque Sacramentum, peccat mortali sacrilegio, & sæpe scandalo, nisi iusta causa excuset.

194. **P**er indignum intellige eum, qui quidem suscipit verum Sacramentum, sed non gratiam Sacramentalem propter indispositionem. Probatur autem prima pars conclusionis ex Scriptura Matth. 7. v. 6. *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, & conversi dirupant vos.*

Ratio Conclusionis.
1. Cor. 4. **R**atio est: quia ministri Sacramentorum sunt dispensatores mysteriorum Dei, teste Apoft. 1. Corint. 4. v. 1. *Sic vos existimet homo ut ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei*. Et addit: *Hic iam queritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniat. Porro fidelitas dispensatoris in hoc maxime elucet, quod dispense res Domini sui juxta ejus voluntatem, id est, sic ut habeant effectum, ad quem à Domino ordinatæ sunt. Alioquin & facit injuriam Domino, & rei quam malè dispense.*

Quemadmodum ergo suscipiens Sacramentum indignè (ut dicemus sectione sequenti) peccat graviter contra Religionem, quia facit contra reverentiam debitam, impediens effectum Sacramenti; ita etiam indigno Sacramentum ministrans. Quod graphicè expressit D. Chrysof. Homilia 60. ad populum Antiochenum his

verbis: *Inhumanus accedat nemo* (loquitur s. Chrysof. de Sacramento Eucharistiæ; eadem autem est ratio de alijs Sacramentis viworum & mortuorum respectivè ad suam dispositionem) *nemo crudelis & immisericors, nemo prorsus immundus*. Hac ad communicantes dico, & ad vos ministrantes. Nam & ad vos sermonem convertere necessarium est, ut multo cum studio hac dona distribuatis. Non parva vobis imminet ultio, si quemquam, illius culpa conscij, huius mensæ participem esse concedatis: sanguis eius de manibus vestris exquiratur, sive quis dux militiæ sit, sive Prefectus, sive Princeps diademate coronatus, indignè autem accedat, prohibe, maiorem illo potestatem habes. Propterea vos Deus hoc insignivit honore, ut talia discernatis.

Profectò si Sacerdos graviter peccat contra reverentiam debitam Sacramento, & contra officium suum, hostiam sacram v.g. projiciendo in terram, pedibus conculcando &c. quidni etiam porrigendo indigno, qui non est nisi fœda cloaca omnium fordidum? *Sepulchrum patens* (inquit Psalm. 5. v. 11.) *est guttur eorum.*

Quod attinet secundam partem conclusionis, scilicet peccatum scandali, noli de eo dubitare quando indignus, non paratus suscipere Sacramentum, positivè invitatur, ut in tali statu suscipiat: scandalum quippe activum nihil est aliud, quàm dictum vel factum minus rectum, præbens occasionem proximo peccati.

Dixi: *in tali statu*; quia non videtur illicitum generaliter omnes invitare ad susceptionem Sacramentorum, quamvis prævideatur aliquis indignè accessurus; siquidem non invitatur ut in malo statu suscipiat, sed ut dignè se disponat sicut potest & debet, ac ita dispositus accedat.

Exemplum habemus in Christo, qui omnes Apostolos invitavit ad Eucharistiam illis verbis: *Accipite & comedite: Bibite ex eo omnes*, cum tamen optimè nosset Judam accepturum in malo statu.

De quo ergo hic disputatur, est, an simpliciter ministrans Sacramentum indigno petenti semper peccet peccato scandali. Ratio pro parte affirmativa sit: quia semper formaliter cooperatur peccato indignæ susceptionis; debuit siquidem hic & nunc (ut suppono) peccatum illud impedire; ergo omissione minùs recta est causa ruinæ proximi.

Et quidem admissio gratis (de quo hic non disputo) actum externum malum superaddere novam malitiam formalem actui interiori, non dubito de veritate. Quia tamen contrarium probabile est & magis commune.

commune, videlicet actum exteriorem per se loquendo non augere malitiam voluntatis internæ, ideo teneo dari posse easum, rarissimum licet, in quo ministrans indigno non peccet peccato scandalis; ideoque in conclusione notanter posui ly *sape*. Casus autem est, quando proximus ita paratus est accipere Sacramentum, ut mala eius voluntas propter meum ministerium hand muretur ex inefficaci in efficacem, neque magis intendatur aut diutius continuetur.

Enimvero in his circumstantiis, quæ rarissime occurrunt, non video, licet etiam accederet positiva invitatio; non apparet (inquam) cur ministrans tali indigno debeat dici peccare peccato scandalis, quandoquidem ex tali ministerio aut etiam invitatione, nullum proximo sequatur spirituale detrimentum.

Objicies Primò: Communi calculo Doctorum reus est peccati mortalis scandalis, qui à maleficio, quantumvis parato; petit ut maleficio maleficio tollat: cuius ratio redditur, quod maleficus id iuste exequi nequeat; & quantumvis paratus esset, hoc tamen numero peccatum ipso non petente nequaquam perpetraret; & licet voluntatem perpetrandi haberet, non exequeretur, nisi hic induceret; quæ omnia locum habent in casu proposito.

Respondeo: supponit quidem communis sententia talem peccare, sed peccato maleficij, utpote qui positivè illud vult; secus peccato scandalis. Vel si aliqui sint, qui expressè asserant peccatum scandalis, dico intelligi debere, ut aliquid probent, fuisse locutos in opinione; quæ actui externo tribuit specialem malitiam; aut certè non in circumstantiis à nobis supra requisitis; quæ, quia vix (ut dixi) simul omnes reperiuntur, ideo fortassis generaliter admittunt malitiam scandalis in tali invitatione.

Idem dicendum iudico juxta principia posita de illo, qui induceret meretricem publicam jam omnimodè paratam ad fornicandum, ut peccet secum vel cum tertio similiter parato.

Objicies Secundò: si duo essent ad pugnam parati, non possem sine peccato contra charitatem illis subministrare instrumenta, vel hortari ad pugnam externam.

Respondeo: sine peccato proprio scandalis, nego; sine alio peccato contra charitatem, concedo. Et assigno disparitatem, quia per pugnam externam infertur nocuum corpusale alteri vel utrique parti, quod charitas dicat removendum, quan-

tum commodè fieri potest; in alijs autem casibus non infertur nisi nocuum spirituale, quod totum illatum est ante meam inductionem.

Objicies Tertio: Nemo sine peccato potest stultum provocare ad fornicationem externam. Respondeo rursus cum distinctione: sine peccato scandalis, nego; absque peccato fornicationis, concedo; quippe provocanti fornicatio stulti est voluntaria, adeoque peccaminosa; propter affectum internum; qui quoniam in stulto non invenitur, voluntarius scilicet & liber, hinc fornicatio non est ipsi formaliter mala.

Insuper: Ergo saltem qui sine voluntate actus exterioris præberet amenti occasionem aliquam peccati, nullum incurreret reatum; etiam dum abest omnis iusta causa ponendi talem occasionem.

Respondeo iterum distinguendo consequens: reatum peccati venialis, nego; ad minus enim erit actus otiosus: reatum culpæ mortalis, concedo totum; dummodò peccatum externum non vergat in detrimentum corporale aut spirituale tertij, quod ex charitate teneor avertere; quantum commodè possum.

Quæ ratione fortassis dici posset, omne peccatum externum esse vitandum & impediendum, nisi incommodum consequens excuset; etenim aliqua fit irreverentia legillatori per transgressionem, etiam dum taxat materiale; suæ legis; illa tamen irreverentia non tanta est, ut sub mortali obligetur quis eam impedire, prout alibi dicitur. Quin sæpissimè iusta se offert causa non solum permittendi peccatum materiale, verum etiam formale.

Et ideo in conclusione addidi illam restrictionem: *Nisi iusta causa excuset*; hæc si quidem facit; ut ministrans indigno Sacramentum non ita censetur cooperari peccato ipsius, quam bene illud permittere. Porro permissionem peccati alieni in quàm plurimis occurrentiis licitam esse nemo, qui vel à limite Theologiam salutavit, ignorare potest; in omni quippe materia morali hujusmodi casus se præsentant.

Ratio autem in presenti casu est, quia tota malitia hujus ministerij oritur ex perversa voluntate suscipientis; siquidem posset dignè suscipere, vel saltem non indignè, si veller. Sicuti ergo (ut seet sequenti patebit) aliquo casu licet petere Sacramentum ab indigno ministro, quando digna ministratio pendet à libera voluntate ipsius; simili ratione etiam interdum licitum est ministrare indigno.

199. Objectio tertia de provocante stultum ad fornicationem. Responso.

200. Præbens amenti sine voluntate actus exterioris occasionem peccati, non peccabit mortaliter peccato scandalis.

201. Licet aliquid quando ministrare Sacramentum indigno.

Casus, in quo ministrans indigno Sacramentum non peccet peccato scandalis.

197. Objectio prima de petente à maleficio quantumvis parato ut maleficio tollat.

Responso.

198. Objectio secunda de duobus ad pugnam paratis, quibus nequeat subministrari instrumenta. Responso.

Et

Magis incumbit Ministro impedire indignam susceptionem; hinc tamen solum sequitur, quod requiratur major causa ut ministraretur indigno, quam ut ab indigno recipiatur. Sanè etsi nulla assignari posset ratio à priori hujus nostræ restrictionis, sufficientissimè ostendit exemplum Christi ministrantis Judæ indigno Sacramento Eucharistiæ, malitiam ab hoc actu esse separabilem. Hinc erit

Et quamquam magis incumbat ministro impedire indignam susceptionem, quam suscipienti indignam ministracionem; hinc tamen solum sequitur, quod requiratur major causa ut ministraretur indigno, quam ut ab indigno recipiatur. Sanè etsi nulla assignari posset ratio à priori hujus nostræ restrictionis, sufficientissimè ostendit exemplum Christi ministrantis Judæ indigno Sacramento Eucharistiæ, malitiam ab hoc actu esse separabilem. Hinc erit

CONCLUSIO XIII.

Publicè indignus, etiam publicè; occultè indignus non nisi occultè est repellendus à Sacramento, ad quod quilibet jus habet, puta à Sacramento Eucharistiæ.

202.

ITa Rituale Romanum Tit. de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, ibi: *Fideles omnes ad sacram Communionem admittendi sunt, exceptis q̄s, qui iusta ratione prohibentur. Arcendi autem sunt publicè indigni, quales sunt excommunicati, interdicti, manifesti, infames, ut meretrices, concubinarij, fornicatores, magi, sortilegi, blasphemij, & alij eius generis publici peccatores, nisi de eorum penitentia & emendatione constet, & publico scandalo prius satisfecerint. Ergo publicæ meretrici, de cujus conversione publicè non constat, nequit Eucharistiæ publicè ministrari.*

Publicæ meretrici, de cujus conversione publicè non constat, nequit Eucharistiæ publicè ministrari.

Occultos verò peccatores (prosequitur Rituale) si occultè petant, & non eos emendatos agnoverit, repellat, non autem si publicè petant, & sine scandalo ipsos praterire nequeat. Hæc est communis sententia, sed explicatu satis difficilis. Ut autem faciliùs & clariùs intelligatur,

203.

Omnes habent jus petendi Sacramenta Baptismi, Confirmationis, Eucharistiæ, Penitentia & Extremæ Unctionis; petendi (inquam) à Pastore animarum suarum tamquam pascua sibi debita ex institutione Christi; cum hac tamen diveritate, quod Pastor possit & debeat magis exactè investigare dignitatem vel indignitatem petentis in Sacramento Penitentia; tum quia valor absolutionis pendet

à dispositione penitentis; tum quia in illo Sacramento est iudex, cujus est inquirere merita aut demerita causæ, ne proferat sententiam injustam.

Similiter ad ministrandum Baptismum adultis non sufficit, quod Pastor ignoret indispositionem petentis; sed tenetur positivè inquirere & examinare fidem, aliasque dispositiones illius, nisi fortè communiter ab omnibus haberetur dispositus. In Eucharistiæ, Confirmatione & Extremæ Unctione presumitur quis bonus, nisi constet contrarium. Excipe communionem primam parvulorum aut rudium, circa quam investiganda est à Parocho, sive Catechista, sive Confessario sufficientia instructio. De Ordine & Matrimonio dicam conclusione sequenti.

Nota secundò ex Suario de Euch. disp. 67. sect. 1. in fine, præceptum negandi Sacramentum indigno non esse simpliciter negativum; cum enim sit præceptum naturale, nullo casu licitum esset Sacramentum dare peccatori; obligat quippe præceptum naturale negativum semper & pro semper; constat autem exemplo Christi aliquando esse licitum.

Reducendum igitur est ad affirmativum prudenter & fideliter dispensandi mysteria Dei: quod formaliter sumptum (ut sic dicam) semper servandum est, quotiescumque aliquod Sacramentum dispensatur. Et hinc fit ut, si commode possit, debeat indigno denegari, non tamen semper cum quocumque incommodo & sine ulla exceptione.

His prænotatis, haud equidem efficacius probatur secunda pars conclusionis, quæ sola habet difficultatem, quàm ex communi usu & praxi totius Ecclesiæ, quæ præcipue fundatur in factò Christi communicantis in ultima coena Judam Iscariotem, quem probè noverat esse in statu peccati mortalis.

Verum quidem est, non semper quocumque particulare factum Christi trahendum esse in consequentiam: attamen cum Christus ibi Eucharistiam instituerit, præcipiens Apostolis ut hoc facerent quod ipsum viderant fecisse, quis non prudenter iudicet etiam distributionem hujus Sacramenti ibidem à se factam in exemplum proposuisse, quod tota postmodum Ecclesiæ imitaretur?

Profectò parum verosimile est Christum Ecclesiam suam à principio usque modò in tanto errore reliquisse, si verus error est, & non potiùs voluntas Christi Domini, qui Apostolos eorumque successores dispensatores

Ad ministrandum Baptismum non sufficit, quod pastor ignoret indispositionem petentis.

204. Preceptum negandi Sacramentum indigno non est simpliciter negativum. Ita Suarius.

205. Indigno non potest ministrari Sacramentum non probatur efficacius, quàm ex communi usu Ecclesiæ in factò Christo.